

No. 57. 1304. 20. Juni.

B. Heinrich von Merseburg eignet nach vorhergegangener Auflassung durch Landgraf Dietrich eine halbe Hufe vor dem Petersthore und einen Freihof in der Stadt, welche Gertrudis Wittwe Hermanns gen. von Grimma von des Landgrafen Vorfahren zu erblichem Rechte besessen und bei der Unterbringung ihres Sohnes Petrus im Kloster diesem zugewendet hat.

Nos Henricus dei gratia Mersburgensis ecclesiae episcopus recognoscimus et universis tam praesentibus quam futuris cupimus esse notum, quod cum Gerdrudis relicta Hermannii dicti de Grimmis civis in Lipz Petrum filium suum ordini canonicorum regularium ecclesiae sancti Thomae ibidem Lipz ad serviendum domino obtulisset, eadem Gerdrudis de consensu et voluntate filiorum eius videlicet Johannis et fratrum suorum necnon Rudegeri de Basilea manentis Lipz medium mansum situm ante valvam sancti Petri Lipz iuxta foveam arenae, adiacentem quoque bonis illorum qui dicuntur Beck^{a)}, et unam curiam sitam Lipz, quae quondam erat domini Alberti dicti de Räswin, quam a progenitoribus illustris domini Theoderici lantgravii Thuringiae habuit, quae a custodiis vigiliis et exactionibus civitatis Lipz est exempta, iure hereditario praedictos Gerdrudim et filios suos contingentes dedit et obtulit praefatae ecclesiae sancti Thomae in Lipz perpetuo possidendos. Verum cum dictus dominus Theodericus lantgravius Thuringiae dictum medium mansum et curiam a nobis et ab ecclesia nostra Mersburgensi in feudo tenuerit sicut ipse lucide recognovit ipsosque ad preces dictae Gerdrudis et amicorum eius ad manus nostras libere resignavit, nos pure propter deum proprietatem dicti medii mansi et curiae cum omni iure quod eisdem nunc inest vel inesse poterit in futurum de consensu capituli nostri libere tradimus et donamus saepe dictae ecclesiae sancti Thomae in Lipz perpetuo possidendos. Ut autem dicta nostra donatio firma et inviolata permaneat, sigillum nostrum in testimonium praesentibus duximus apponendum. Testes huius rei sunt nobilis vir .. buregravius de Kyrehbere, Jenkinus de Gelnowe, Henricus de Kokeriz, Thammo de Haldecke, Henricus de Harraz, Henricus de Slathebach, Vlricus de Zweme, Henricus de Vthynsbere, Conradus de Kotschowe et alii quam plures fide digni. Datum Mersburg anno domini millesimo trecentesimo quarto XII^o Kal. Julii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Siegel des Bischofs an einem von der Urkunde selbst z. Thl. losgetrennten Pergamentstreifen.

a) Vgl. No. 43, 44 u. 45.

No. 58. 1304. 28. Aug.

Gabriel Pleban von Valleneto, Sammler der Unterstützungsbeiträge für das heilige Land stellt dem Probst eine Quittung über Empfang von acht Mark Stendalischen Silbers aus.

Noverint universi praesentes litteras inspecturi, quod nos Gabriel plebanus de Valleneto collector decimae legatorum et obventionis cuiuslibet terrae sanctae